

hi qui Deum laudant, sunt servi Dei, *Qui sint
servi ad
mensam
Dei.*
& astantes mensæ illius sapientiam,
divinam in Spiritu credunt, & ver-
bum Dei audiunt. Atque hic est ille
fons & scaturigo veræ sapientiæ, ut
quidam ex Patribus scripsit de profun-
do mari sapientiæ divinæ: quam ta-
men, ut est in Psalmo, *Stultus non
cognoscit, & stultus non intelligit.* Breviter
quanto quisque per Hymnos & lau-
des Dei propius illi conjungitur, &
frequentius hoc agit, tanto magis de-
tegitur & innotescit ipsi thesaurus &
opulentia divinæ sapientiæ & cogita-
tionum illarum quæ profundæ factæ
sunt nimis; quæ omnia coram stulto-
rum mundanorum oculis obsignata
& clausa manent. V. Dei laudem ho-
minis summam dignitatem, gloriam
& opulentiam statuimus, quia per il-
lam victorias refert de omnibus suis
hostibus corporeis & spiritualibus; te-
ste *Psalms. 8. 18. 118.* & Josaphat qui uni-
co cantico sine cæde & sanguine in-
cruentam victoriam reportavit de
maximo exercitu; ut est *2. Chronic.
cap. 20.* Talia Epinicia occurrunt in
pluribus Psalmis; ut est in *Psalms. 18. 46.
76. &c.*

CAP.